

1558

distentus curis cum potentissimo Rege dimicare coactus, novos in Italia motus alere, suis rebus conducere non arbitratur; neque copiarum erogandis stipendiis pecunia suppeteret, atque Octavii Farnesii milites in tumultus, ac seditiones prolaberentur. Hyeme vero ita suis ditionibus, atque urbis Hercules firmandis vacaverat, ut nisi majoribus viribus aucti prosperos belli eventus sibi Hispani polliceri non posset. Re itaque per Cosmum Florentiae Ducem agitata, tandem his conditionibus pax subsecuta est: *Fœderibus cum Paulo, atque Henrico percussis, Hercules renuntiaret; amicitiam æque cum Regibus coleret; Hispanis non secus ac Gallis iter, & commeatus per suos fines præberet; quæ ab Octavio oppida in Regiensium finibus adempta fuerant, restituuerentur; utrinque abolitio criminum fieret; inter Farnesios, atque Estenses vetus necessitudo renovaretur; Gallis, qui Herculi militaverant, liberum per Insubres in Subalpinos, vel in Galliam iter permitteretur; Cosmus initæ concordiæ se vadem daret; pacta ad Philippum signanda perferrentur, interea induciæ fierent.* Quibus sane rebus non ægre Philippus ipse assensus est: nam ob Icium nuper amissum ingenti clade perculsus, cum tot bellorum pondus sustinere non posset, ultiro pactis legibus subscrispsit, plerisque licet obloquentibus, quod non absque regiæ dignitatis, atque amplitudinis nota cum Italiæ Regulo iis conditionibus pepigisset. Verum quæ sub id tempus in Gallia, ac Belgio accidere, Italiæ jactatæ, multis que tempestatibus circumactæ tranquillitatem, atque otium peperere.

Dum enim Philippus, Namurco, ac Sancti Quintini oppidis communitis, copiis in hyberna deductis, vere novo acrius in Gallos bellum meditaretur, Henricus ob acceptas clades regio pudore suffusus, media hyeme, quæ eo anno frigidissima fuit, copias sedulo comparabat. Jam ex Italia Guisius, Strozzius cum aliis Galliæ proceribus redierant; pecunia sponte in regni subsidium a populis congesta, Germanorum auxilia adcercebantur. Itaque, brevi ingenti coacto exercitu, Hispanis intra oppidorum mœnia receptis, per circumjectos agros nemine obstante vagantur; ac ne ignobili otio marcescere vividos Gallorum gentis impetus pateretur, Sancto Quintino,

quem

Pax inter  
Philippum  
Regem &  
Ferrarie  
Ducem.